

Dissertatio medica inauguralis exhibens foetum e rupto utero in abdomen prorumpentem ... / eruditorum examini subjiciet Christianus Fridericus Pistor.

Contributors

Pistor, Christian Friedrich.

Publication/Creation

Argentorati : Literis viduae Johannis Pastorii, [1726]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ja26bpbk>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
EXHIBENS

FOETVM ERVPTO
UTERO IN ABDOMEN
PRORVMPENTEM,

QVAM

PRÆSIDE TRIVNO,

EX

DECRETO ET AVCTORITATE
GRATIOSE

FACVLTATIS MEDICÆ
IN ALMA ARGENTORATENSIVM
VNI VERSITATE,

PRO LICENTIA


SVM MOS IN MEDICINA HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
RITE CAPESSENDI,

SOLENNI *Eruditorum Examine*
subjiciet

CHRISTIANVS FRIDERICVS PISTOR
STVTTGARDIA - WÜRTEMBERGIGVS.

AD D. XVIII. OCTOBR. ANNO M DCC XXVI.

ARGENTORATI,
LITERIS Viduæ JOHANNIS PASTORII.



Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30776028>

SERENISSIMO POTENTISSIMO
MOQUE PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO

EBERHARDO
LUDOVICO,

WÜRTEMBERGIÆ ET TECCIÆ
DUCI,

COMITI MONTISBELIGARDI,
DYNASTÆ IN HEYDENHEIM,

Ec. Ec. Ec.

SACR. CÆSAREÆ MAIESTATIS ET S. ROM.
IMP. NEC NON INCLYTI CIRCVLI
SVEVICI

CAMPI-MARESCHALLO GENERALI,

DVARVMQVE LEGIONVM EQVESTRIS
CÆSAREÆ ET SVEVICÆ PEDESTRIS
CHILIARCHÆ.

*Principi ac Domino Suo
Clementissimo.*

NEC NON
SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,
DOMINO
FRIDERICO
LUDOVICO,
WÜRTEMBERGIÆ ET TECCIÆ
D V C I,
COMITI MONTISBELIGARDI,
DYNASTÆ IN HEYDENHEIM,
Ec. Ec. Ec.

EQVESTRIS INCLYTI CIRCVLI SVEVICI
LEGIONIS CHILIARCHÆ,

Domino Svo Clementissimo.

Qualecunque hoc SPECIMEN INAUGVRALE cum
devotissima animi submissione

Dat, Dicat, Consecrat,

& se suaque studia humillime commendat

SERENISSIMARVM CELSITVDINVM
SVARVM

subjectissimus humillimusque Cliens ac Subditus

CHRISTIANVS FRIDERICVS PISTOR,
[STVTTGARDIA - WÜRTEMBERG.]



PRÆFAMEN.



Generationis humanæ negotium, si quod aliud in œconomia animali abstrusum est & miraculis plenum, adeoque Mysterium a Naturæ Mystis tam vere quam pie nuncupatum. Sive enim primordia ejus, conceptionem puta & ovuli in matricem, fœcundissimum Naturæ arvom, ingressum consideres, sive etiam spectes ejus progressum, nempe nutritionem, fœtus augmentum, tempus item, quo Anima rationalis corpusculo infunditur, nec non causam, qua tum eadem animi inclinationes, tum etiam corporis lineamenta vultusque similitudo aliæque impressiones a Parentibus embryoni communicantur, sive denique attendas generationis hujus finem seu partum, quo fœtus jam perfectus & aëre locoque liberiore frui cupiens ex hoc suo ergastulo, in quo per novem menses non tam hospitatus, quam potius impactus erat, per vias adeo angustas magno cum nisu erumpit.

A

Ut

Ut taceam vias extraordinarias & p. n. quas natura, si partus naturalis ex voto minus succedit, pluresque ob causas contingere non valet, quibus hospitem suum eliminat, non raro invenit. Hæc si quis paulo attentiore animo perpendit, tot & tanta in hoc negotio reperiet admiranda, quæ conceptum humanum superant, & intellectui impervia sunt, ut merito cum *Lucretio* exclamet:

*Multa tegit sacro involucro Natura, neque ullis
Fas est scire quidem mortalibus omnia, multa
Admirare modo, nec non venerare.*

Ad quæ insolita jure meritoque etiam referas illos casus, quibus gravida quandoque rupto utero in seipsa parit, suæque proli in abdomen propulsæ, dum matri mortem accelerat, vicissim sepulcrum parat; id quod raro utique exemplo accidit, & inauditum istud diceres, nisi aliquot historiæ in Recentiorum monumentis extantes fidem huic rei adstruerent. Cumque in Theatro Anatomico, quod hic loci est, anno superiore similem casum de foetu per uterum ruptum in abdomen erumpente intueri mihi contigit, operam non male locaturum me arbitror, eum L. B. exhibere, & loco Dissertationis Inauguralis pauca quædam de eodem commentari. A quo etiam veniam me impetraturum spero, si forsan hic ingenij mei foetus, utpote labor juvenilis, non omnibus numeris perfectus fuerit, neque à nævis immunis, sed potius magna ex parte deformis de-

deprehendatur. DEUS T. O. M. qualicumque
meo conatui clementer adsit!

Historia.

INnupta stupidioris ingenij, & quadragenaria major
ab illicito & clandestino amore impragnata, postquam
in Nosocomium hujus Urbis recepta fuerat, post bre-
vem ibidem moram genuinis partus doloribus corripit-
tur. Obstetrix ordinaria re probe examinata, partum
instare inde augurata est, quod non modo internum u-
teri osculum aliquantulum hiare observavit, atque
ruptis secundinis aquæ cum paucis sanguine permixta
effluxere, sed & caput embryonis tactu explorare ex
parte ipsi licuit, Quia vero foetus proprio nisu erum-
pere non potuit, tum dicta obstetrix, tum etiam Chir-
urgus ordinarius manum operi admoventes, extractio-
nem ejus sed irritato conatu moliti sunt. Partus dolores
& labores continuarunt quidem, sed expellendo hospiti
impares erant, neque gravida eos rite promovere pote-
rat ob staturam corporis justo minorem, quæ impediit,
quo minus parturientium sella commode insidere, aut
manibus, quæ solito breviores erant, inniti debito modo
potuerit. Intermedio tempore, quo à doloribus respirare
ipsi licuit, satis bene sese habebat, & de insigni licet vi-
rium prostratione conquesta, nunc in hypocausto deambu-
lavit, nunc iterum lecto se commisit, nunquam vero li-
pothyria tentata est. Quarto à primis laboribus die
dolores, qui antea multum remisserant, sensim prorsus
evanescere, foetumque sursum retractum esse mox obser-
vatum, eo quod caput ejus tactu percipi amplius non
potuit. Quare ut illos revocaret, lecto iterum surrexit,

quo factō convulsione superveniente subito ad terram prostrata est. Brevis quidem ad se rediit, sed motus convulsivi secunda & paulo post tertia vice illam concusserunt. A remediorum convenientium usu mentis iterum compos facta, initium sequentis diei satis bene transiit, post meridiem vero subito mutata fuit, & quae toto gestationis tempore vivido vultu conspicua erat, pallescere potissimum labiis coepit, & cadaverosam faciem praese tulit. Accedente postea mentis abalienatione, oculos, non nisi acclamationibus excitata, aperuit, donec tandem viribus magis magisque exhausta animam efflavit, postquam quinque integros dies in partus laboribus transegerat. Ab illo tempore, quo dolores evanescere, abdomen praeter modum tumefactum, qui tumor, si forte lateri sinistro incubuit, in regione hypochondriaca ejusdem lateris, & umbilicali maxime erat. Ab iis, qui intimius illam noverant, compertum habeo, eandem decem abhinc annis gemellos utero gestasse, & favente Lucina feliciter enixam esse.

Quia & Medicus ordinarius Exper. Dn. D. Moseder, & Chirurgus dicti Nosocomij non obscure ominati sunt, aliquid extraordinarij hic subesse, Theatro Anatomico illatum cadaver est, ut quid illud esset, investigaretur, quo exterius perlustrato ante omnia abdomen praeter morem tumidum conspiciebatur, & corpus veluti quoddam in hypochondrio sinistro costis spuris impactum palpari poterat, quod versus regionem umbilicalem, inde hypogastricam dextram oblique exporrigi videbatur. Dissectis abdominis integumentis flatus cum impetu erupere, & sanguis in copia effluxit. Quod vero praesentes in admirationem potissimum rapuit & novitate rei attonitos veluti reddidit, erat, quod insolito

lito prorsus spectaculo foetus sexus muliebris (à quo tamen cuticula undique præprimis in facie abscedebat) in ventris hujus cavitate extra uterum intuiti sunt, qui capite ad hypochondrium sinistrum situs ab intestino colo atque omento ad humeros usque occultabatur, reliquum corpusculi oblique deorsum exporrectum erat, natium dextra supernæ ossis pubis sedi accumbente uterumque omnino abscondente. Qui uterus in fundo sine labe erat, non æque collum ejus aut cervix, quæ parte laterali dextra rupta tanto foramine biabat, ut foetus transire potuerit, cujus pedes præprimis sinister dicto collo insistebant, reliquis abdominis partibus, quantum observare licuit, nihil p. n. habentibus. Placenta uterina una cum secundinis bene constituta in hypochondrio dextro locata erat hepatis incumbens, sed mox post apertionem cadaveris ad iliacam regionem delapsa, cui æque ac foetui funiculus umbilicalis connectebatur. Insuper notabilis sanguinis tum fluxilis tum etiam grumosi copia in abdominis cavo fluctuabat.

§. I.

ANtequam historiam foetus nostri deducam paucis annotare liceat, plures hinc inde in Scriptorum monumentis proflare observationes embryonum qui præter ordinarias naturæ leges vel in variis corporis locis hospitati sunt, vel per vias insolitas inde eruperunt, vel denique ultra consuetum tempus in utero commorati fuerunt. Ex illis, qui extra uterum geniti fuerunt, quidam reperiebantur tubæ Fallopiæ inclusi & velut impacti, atque ob suffi-

cientis nutrimenti defectum emaciati & sceletum
 quam foetui similiores, quorum exempla exhibentur in *Regn. de Graaf de org. mul. Act. Acad. Reg. Sc. 1701. & 1702. Act. Anglic. vol. 7. p. 385. Matth. Tiling. tr. de foet. extr. uter. cavit. in tub. concept. Job. Sigism. Elsholtz. Ep. pec. de concept. tub. ad D. D. Wohlbr. Huxholtz. & Abrab. Cyprian. Ep. de foet. hum. post 21. mens. ex uter. tub. excis. ad Th. Milington exarata Hist. Acad. Reg. Sc. 1714. mentionem facit foetus sacco peculiari ab exteriori tubae membrana formato inexistentis, & Job. Riolanus Anthropogr. l. 2. c. 35. quatuor exempla foetuum in tubis existentium habet, conf. Marquard. Prax. cap. de mol. ut multa alia silentio praeteream. Non possum tamen, quin verbo mentionem injiciam visi reperti foetus 46. annorum globulo osseo involuti, tum quia casus plane admirandus in Suevia contigit, tum etiam quia raritate sua tantum non omnes alios longe post se relinquit, & plura forsan secula decurrent, priusquam similem observare licebit. Modo certo constaret de loco, in quo dictus embryo per tot annorum spatium latuit; quia vero foemina illa secunda vel tertia vice post enixa partus est, eum in alterutra tubarum degisse non sine ratione judicatur in *Diss. Inaug. quam de foet. 46. ann. Praes. Exc. D. D. Rud. Jac. Camerario in lucem edidit Exper. D. Orth. Tub. 1720. ad quam B. L. remittimus. Quorum phaenomenorum causae vel nimiae oviductus, qua utero adheret, angustiae, vel deficienti aut saltem segniori fibrarum motricium motui, vel etiam lento humori ibidem contento*
 & o-*

& ovulum agglutinati non male adscribuntur, quæ idem in medio itinere intercipiunt & intra hosce cancellos detinent, post ab aliquot vasculis nutrimentum accipiens rudimentum utcunque in actum deducitur. Foetus deinde grandior factus intra tam angustos limites coërceri non potest, hinc tuba disrupta in abdominis cavum prorumpit. vid. *Act. Acad. Reg. Sc.* 1702.

§. II.

Neque desunt à solertioribus phænomenorum p. n. indagatoribus consignatæ historiæ, quæ foetus in abdominis cavo generatos exhibent, idque inde oriri autumo, quod vel altera tubæ Fallopiianæ extremitas p. n. coaluit. vid. *E. N. C. Dec. 2. ann. 5. obs. 63.* vel ornamentum earum foliaceum cum uteri ligamento agglutinatum est, quod *Dom. de Marchettis Anat. cap. 7.* se vidisse perhibet, vel quod illa ipsa sese non rite explicat ovariumque amplectitur; vel etiam vitio ovuli justo majoris, ut tubam ingredi non valeat; vel quacunque alia de causa istud in abdominis cavum delabitur ibique velut errabundum vagatur, donec alicui parti forte adhæreat, ab eaque aliquid nutrimenti emendicet, uti *Act. Anglic. l. c.* ovula variis abdominis partibus annexa demonstrant & verosimile est, ejusmodi ovulum, ubicunque vasa sunt, adhærere, cum his coire, & alimentum recipere posse. *Hist. Acad. Reg. Sc.* 1716. foetum in hypochondrio dextro locatum placenta vertebris adhærente memorat. Item Cl. Rau alium magnitudine nucis exteriori uteri super-

superficie adhærentem observavit, in qua omnium artuum vestigia jam apparuerunt. Sic & notissima est historia foetus Mussipontani extra uterum in abdomine geniti, & per plura lustra ibidem hærentis, de qua legi merentur *Anton. Deusingij, Laur. Strauffii, Job. Dan. Horstij* aliorumque commenta hac de re edita *pec. tract. Francof. 1669.* qui cum nostro convenit quod 1. foetus bene formatus, uti fertur, & omnibus numeris absolutus erat, 2. in abdominis cavo extiterat, 3. mater exili corpore & exiguæ admodum staturæ erat; ab eodem vero discrepat, quod 1. hujus uterus nullo prorsus obductæ cicatricis vestigio, nullo stigmate violatus sed integer erat, adeoque 2. foetus extra uterum conceptus, 3. per plures annos ibi latuit, 4. quinque retinaculis firmissimis cum peritonæo, intestinis aliisque partibus cohæsit, 5. denique velut lapidescebat & facies præprimis gypsea materia obducta fuerat. Quæ historia multis suspecta est præ aliis *Thom. Barthol.* de rei veritate dubitanti, qui *Cent. 3. Ep. 8. & 84.* plures rationes allegat, & *Guid. Patinus* istam pro fabula & sarcasmo quodam venditat. Non minus admirandus est casus vel *Tolosani* epiplooo firmiter annexi vel *Aurelianensis* foetus; illius per 25. annos in abdomine hærentis historiam publici juris fecit *Franc. Bayle Tom. 3. Inst. Phys. & Blegny Zod. Med. Gall. ann. 1. obs. 9.* hujus inter uterum & intestinum rectum constituti meminerunt *E. N. C. Dec. ann. 1. obs. 110. & Menconn. T. 2. Itin. Ital. 2.* Obiter hic annotare adhuc liceat, partum *Tolosanum* in utero prius hospitatum

tum fuisse, id quod inde patet, quod hæc pars in fundo ulcere tentata fuerat.

§. III.

Non minus hinc inde leguntur exempla foetuum, qui per loca prorsus extraordinaria è corpore materno post longiorem vel breviorē moram ibi factam eruperunt, de quibus prolixè egit *Tb. Bartholin. de insolit. hum. part. viis*, dum alij per abscessum, alij per umbilicum, alij per intestinum rectum & anum exiisse feruntur, vid. *Henr. à Roonbuys. l. 2. obs. 1.* simile quid observavit *Dn. de Littre*, nempe ulcere intestini recti prægresso ossa foetus per alvum partim sponte excreta, partim manu Chirurgica extracta esse perhibens *Act. Acad. Reg. Sc. 1702.* alios per os rejectos esse nobis persuadent *Casp. à Reies Camp. Elys. juc. quæst. 91. & Salmuth. cent. 2. obs. 94.* ex illis prodiisse alium memorat *Polius Hemerol. Siles. Vratisl. in vesica urinaria alium extitisse refertur in E. N. C. cent. 5. & 6. obs. 20.* quorum aliqualia, quia fidem superant, à multis assensum vix merentur. *Cl. Bartholinus* quidem in patrocinium hujus rei à multis adducitur loc. cit. hunc in modum loquens: *vias quidem nobis esse obscuriores, neutiquam tamen Naturæ, cui ubique pateat corpus humanum, hinc alium quemcunque locum capacem & calore tepentem ad foetus conformationem, quamquam non ad exclusionem aptum esse posse.* Verum idem *Bartholinus Cent. 3. Ep. 8.* monere videtur, ne hæc ipsa ad omnes casus extendantur, dum, *temere*, inquit, *monstrosis observationibus, quæ vim consuetæ naturæ inferunt, non credimus,*

quia saepe nos otiosa ingenia & faceta deludunt, nonnunquam & lucri spe multa finguntur, quae nusquam neque picta fuerunt neque scripta, non raro quoque inventis & visis sive ex ingenio, sive ex ignorantia additur. Plura ejusmodi exempla hinc inde à rerum Medicarum observatoribus & scriptoribus annotata in medium proferre possem, si animus mihi esset talia congerere; quin potius iisdem recensendis supersedeo, vel quia haec ab aliis jam tractata, vel etiam quod ab instituto meo aliena esse videntur.

§. IV.

Non multum etiam immorabor historiis foetuum, qui luce, antequam illam viderant, privati ultra consuetum tempus & quandoque diutissime in domicilio ordinario, uterum maternum intelligo, aut etiam extra eundem commorati fuerunt, modo sine putrefactione sed non absque induratione & exsiccatione subsequuta, modo vero & quidem frequentius corporiculo in putrilaginem abeunte, quarum plures *Zacchias Quæst. Med. Leg. L. 1. tit. 2. quæst. 6.* recenset, meminit nempe eorum, qui biennio, triennio & quadriennio ibidem gestati fuerunt. Sic & foetus 20. mensium *Epbe-mer. Vratisl. Tent. 7.* item 16. annorum *Tb. Barthol. Cent. 6. Ep. 62. it. 26. & 28.* annorum *E. N. C. Dec. 2. Ann. 8. obs. 134.* & *Job. Albofius*, qui integrum de *Lithopædio* tractatum in lucem emisit, & 25. annos *Journ. des Scav. 1683.* memorant. conf. *Mauriceau. l. c. obs. 245. E. N. C. Dec. 1. ann. 9. obs. 162.* De lithopædio Mussipontano vel Senensi pari-

pariter ultra quinque lustra in alvo materna degente plura habet hist. foet. Mussip. supra alleg. Quibus addere liceat foetum 46. annorum, cujus supra §.i. mentionem quoq; fecimus, quique ante sex & quod excurrit annos in Suevia visus, cui fidem forsan denegabit posteritas & nos forte etiam denegaremus, nisi nostra memoria contigisset, & testes oculati numero plures nos convincerent. His subjungimus *Schenckium*, qui l. 4. *observ. tit. de part.* aliquas etiam annotavit, sed fabulis & portentis annumerat, & pari illas loco constituit cum fabula illa apud *Trigant. l. 1. de Cbrist. exped. ap. Sin. c. 10.* qua fabulantur Chineses quendam eorum Philosophum nomine Lauzu 80. annis in matris alvo fuisse gestatum. Non vero tantæ sum pervicaciæ, ut tot eruditorum hominum testimonia in dubium vocare audeam. Paucis potius inquiram in moram, qua intra abdominis latebras illi à corruptione immunes latuere stupendam ejusque causas, quas quæsisisse non quidem detrectat animus curiosus, verum invenire & assequi tantum non desperat. *Frid. Ruyschius* soli aëri ejusque commercio hunc effectum adscribit, unde *Advers. Anat. Dec. 2.* experientia, uti ait, edoctus, contendit mortuum in matrice infantem non putrescere in pus, neque in ichorem resolvi, sed flaccescere modo & laxum evadere, quamdiu os uteri probe obturatum manet (adde & foetus membranis involutus est) eo vero aperto admissoque aëre illico in putredinem abire. Uti & alia corpora ad corruptionem prona ab illa præservantur, modo aëris accessus inde arceatur, uti

fructus arborum vitro probe obturato aut antliæ pneumaticæ inclusi. Quod si vero juxta *Franc. Mauriceau l. c. obs. 500.* huic causæ modo allegatæ qualitatem salinam, qua aquæ imprægnatæ sunt, adtingere alicui placeat, ei quidem non refragabor, hoc solum monens, quod notabilis salium copia sine noxa & erosione tenelli corpusculi hic admitti vix possit. Franc. Bayle rem magis determinans, succum acidum in epiploo existentem accusat, ideo maxime, quia foetus ipsius huic parti connexus fuerat, quod acidum partes volatiles figere & soliditatem inducere aptum natum esse credit. Cui alij respondent, salis fixi parum inesse animalibus, & volatile corruptionem magis promovere quam impedire, quia fermentationis auctor est, uti idem è Chymicis patet. Neque etiam frigori, quod corpora naturalia facta tecta que alias conservat, hic effectus verosimiliter adscribitur, utpote quod in homine vivo merito exulat; neque ficcitati, qua dicta corpora naturalia ab interitu pariter vindicantur, quippe cui humida loci accelerandæ putredini opportuni constitutio obstat, & partes humoribus diffluent, quamvis aquæ, cui innatare embryo solet, jam effluxerint. Quas difficultates si mecum pondero, cum *acutissimo Scaligero* ingenue fateor, nos in tenui rerum luce caligare, in mediocri cecutire, in majori cecos esse; cordati proin hominis esse, quædam æquo animo velle ignorare.

§. V.

Sed ut propius ad institutum meum accedam, me non latet, non deesse casus, imo non paucos

cos numero proflare foetuum plene & plane formatorum, qui perrupto prius utero, sive naturaliter sive etiam p. n. constituto, in abdominis cavitatem vel toto corpore vel quibusdam ejus partibus transierunt, & in insolito hoc hospitio diutius vel brevius commorati sunt. Dum autem observationes in numero haud adeo exiguo hac de re factas esse pronuntio, id ipsum non impedit, quo minus illa, quam supra exhibui, rariorum catalogo adscribatur. Quodsi enim quis perpendit, insigni temporis spatium ne dicam plura lustra praeteriisse, antequam aliquoties dictae uteri rupturae curiosis sese obtulerunt, inter rariora referri illae utique merentur. Dum vero de utero rupto sermo mihi est, illa phaenomena intellecta non volo, quibus hoc viscus violenta obstetricis manu, aut instrumentis in foetus extractione adhibitis rudius tractatum, laesum atque infelici enchiresi dilaceratum fuit, qualia apud *Mauriceau l. c. obs. 26. & 147.* annotata legimus. Quin potius de illa uteri ruptura quaedam in medium proferam, quae a causa magis interna arcessenda est, quaque foetus nunc caput, nunc pedes manusve, qua data via est, in abdomen exerit, nunc etiam toto corpore erumpit. *Fabricius Hild. cent. 1. obs. 64. & 67.* refert de infante, qui tentato exitu matricis fundum dilaceravit, totoque capite in ventris infimi capacitatem prominuit, & *cent. 4. obs. 57.* de alio transversim ibidem locato pedemque sinistrum in dictam cavitatem exerente manu dextra in uteri cervicem propendente. Pariter *Sal. Reusselius E. N. C. Dec. 2.*

ann. 7. obs. 10. meminit uxoris civis Stuttgardiani, in cujus cadavere, postquam partu nono periiit, foetus medio corpore utero egressus repertus est, natibus pedibusque inibi relictis, cui subjungit aliam observationem à *Dn. Witzel Phys. Francof.* ipsi communicatam, qua medium uteri scirrholum redditum, post disruptum hospiti suo exitum concessit. Sic & in *E. N. C. Dec. 2. ann. 9. obs. 115.* memoratur, aurifabri conjugem quater distocia laborantem mortuos foetus enixam esse, cumque quinta vice in partus laboribus esset, post fragorem exauditum dolores cessasse, matremque horrore correptam obiisse; post mortem uterum tanto foramine hiasse, ut pugnus intro-mitti potuerit, perque hoc foetum in abdomen penetrasse; & *Dec. 3. ann. 5. & 6. obs. 133.* similis ruptura in collo uteri non procul ab orificio interno, item *Dec. 1. ann. 2. obs. 284.* alia in fundo ejusdem ulcere gangrænoso prægresso exhibetur. Non minus *Cl. Læschner in Diss. obs. de hom. sel. quæ 1722. Wittenbergæ* prodiit *obs. 12.* perhibet se embryonem à difficili partu in abdomen prolapsum bis vidisse conf. *Salmuth. cent. 1. obs. 60.* Similes uteri rupti historias nunc in fundo, nunc in cervice factas & foetus in abdomen erumpentes memoriæ prodiderunt *Fr. Mauriceau l. c. obs. 251. Plazzonus l. 2. de part. gen. c. 14. Stalp. van der Wiel cent. 1. obs. 66. & cent. 2. part. pr. obs. 30. Courtial. obs. Anat. 10. & in hist. foet. Mussip.* exemplum refertur foeminae, quæ 4. ante partum septimanis prona in terram delapsa sonum quendam veluti crepaturam audivit, & reliquo gestationis tempore pal-
lida

lida & tristior de pondere abdominis conquerebatur, in cujus alvo post mortem sanguis copiosus & foetus integer nulla putredine infectus neque foetore gravis repertus est, utero tanto hiatu gaudente, ut pomum granatum disruptum referret. Si cui plura hac de re nosse volupe est, adeat *Cl. Job. Maur. Hoffman. Disq. corp. hum. Anat. path. Spec. 9. §. 23.* Extraordinarium vero est, quod *Henr. à Roonhuysen* narrat, nempe ejusmodi foetum intestino colo tam firmiter agglutinatum fuisse, ut separari ab eo sine forcipe haud potuerit. Inter omnes vero hosce casus vix alius meo ita similis est ac ille, qui in *Diss. de foet. ex uter. matr. mort. matur. excind.* quæ *Præs. Cel. Laur. Heistero* 1720. *Altorsii* in lucem prodiit, extat, in quo subiectum patiens pariter ac nostrum toto gestationis tempore de nullo morbo vel singulari symptomate conquestum fuerat, de reliquo florido faciei colore conspicuum erat, placenta & secundinæ optime constitutæ. In aliquibus vero à nostro differt, quod 1. illic matrix in latere sinistro, hic vero in dextro cervix perrupta. 2. in illo uterus circa oras rupturæ nigricans, tenuis & quasi putridus, in hoc vero præter aliqualem inflammationem nihil tale visum. 3. in illo caput infantis ad faciem usque, in hoc vero totus foetus sinistro pede excepto per aperturam penetraverat.

§. VI.

Id, quod modo innui, manu quasi me ducit ad foetum nostrum paulo accuratius examinandum, pluresque circumstantias, quæ in illo notatu dignæ

gnæ occurrunt, specialius enodandas; quod dum facere aggredior non male factum iri confido, si præcipua momenta aliquot quæstionibus problematicis complectar. Sit itaque Quæst. prima: *An fœtus noster, quia uteri cervici per aliquod tempus impactus hæsit, respirare jam inceperit?* Pro negativa opinione plura militant, & quidem 1. quod nondum in lucem editus fuit fœtus; jam autem apud omnes in confesso est, embryonem quamdiu in utero degit, respiratione destitui, imo & fecundinis involutum, sed extra uterum existentem per aliquot horas absque aëris commercio superesse posse; sin vero semel aëris usura fruitus est, eum absque vitæ jactura ne per momentum hoc elemento carere posse, uti *Guil. Harveus de gener. anim. exerc. de part.* peculiari problemate id ipsum evincere conatur, conf. *Hartsueck. cont. conj. phys. p. 129.* cujus rei ratio est, quod sanguis in fœtu aliam, quam in adultis viam ingreditur, pulmonesque maxima ex parte præterlabitur, quem cursum servat in fœtu utero licet excluso membranis vero concluso, quamprimum vero ille unica tantum vice aërem hausit, sanguine ad pulmones ruente dictæ viæ mutantur, quo facto aër, ut circulus ille perennet, absolute necessarius est, uti id erudite deduxit *Archib. Pitcarn. Diss. 4. de caus. divers. mol. qua fluit sang. per pulm. in nat. & non nat.* 2. loci angustia atque continua uteri constrictio fœtum nostrum comprimens atque in angustum cogens huic respirationi obicem posuisse videtur. Me quidem non latet aliquando contingere, ut ille aliquandiu in uteri vagina hærens

hærens aërem eo delatum intra corpus assumat, quibus *Cl. Bobn. de Offic. Med. Forens. c. 6.* subscribit contendens, foetum in partu existentem atque intra uterum adhuc hærentem aëris portionem per vaginam admissam in pulmones suos recipere valere, quantum ad hos tantisper explicandos atque natatiles reddendos sufficit, nihilominus postea mortuum exturbari. Præter rationes, quæ adduci possent, idem non obscure comprobatur experientia de vagitu infantis, quem quandoque exaudiri certum est, quemque sine prævia inspiratione fieri posse, nemo facile asseret; quamvis negari è contrario nequeat, hunc sonum auditum non semper foetui sed non raro flatibus deberi, quos extra graviditatem quandoque, frequentius in gravidis è matrice erumpere vult *Fr. Mauriceau l. c. obs. 105. & 110.* Quod si vero quis serio perpendit, foetum, de quo agimus, non in vagina, sed in uteri cervice adhuc latitasse, iste facilis non erit respirationem ejus stabiliendi. Quippe si vel maxime largiar, hanc actionem locum habere interdum illo in casu, in quo foetus in vagina est, quæ thoraci sese dilatanti magis cedit, idem concedere non possumus, si quando in cervice hospitatur, ubi illo undique & undique compresso thoracis dilatatio fieri æque haud potest & sine hac inspiratio concipi nequit. Ejusmodi compressionem & aliqualem constrictionem in vagina pariter contingere non inficior, simul vero, uti modo dictum, autumo, istam tantam non esse, ut pectoris dilatationi obicem ponere valeat. Quibus accedit, sæpius allegatam dilata-

tionem in prima inspiratione notabiliorem esse debere, quam in reliquis subsequenter. Neque mihi contrariari videtur Pitcarnij opinio l. c. statuentis, in foetu prima vice respirante aëris irruptionem antecedere thoracis dilatationem. 3. La-
bes, quæ in uteri cervice post mortem deprehen-
sa est, quæque non tam in corruptione quam levi
aliqua inflammatione consistebat, memoratam
partem angustiore reddidit, adeoque dictam
compressionem non parum auxit; 4. foetus no-
ster in abdominis cavo existens respirare non
potuit ob notabilem cruoris quantitatem inibi
fluctuantem, qui sanguis dilatato etiam pectore
loco aëris os & tracheam subiisset: quibus positis
foetus nostri respiratio haud immerito in dubium
vocatur. Neque illam evincunt flatus, qui in ab-
domine erant, & aperto eo cum impetu exierant,
utpote qui demum post foetus egressum uteri o-
sculum ex parte apertum intrarunt, inde per cer-
vicis hiatum p. n. in abdomen penetrarunt. Li-
cet ergo non omni aëris commercio privatus
fuerit, hunc tamen respirationi aptum non fuisse,
vel si etiam talis credatur, ob locorum angustias
pectus non potuisse dilatari statuo.

§. VII.

Modo allegatis rationibus subjungere liceat
examen cum pulmonibus institutum, quod eun-
dem non respirasse haud obscure declaravit. Eo-
rum quippe textura compacta erat non laxa, non
vesicularis, seu (ut Hippocratis voce utar)
τεφρώδης, color non dilute sed obscure rubicundus
erat, insuper aquis injecti fundum petebant ne-
que

que superficiei innatabant. Post Hippocratem Galenus de usu part. tit. 6. pulmonem in foetu (nondum respirante) rubrum, densum, contractum & ponderosum esse innuit. Jam vero experimentis plurimis sæpius hac de re institutis evictum est, dictos pulmones, si foetus semel tantum neque adeo magnam aëris portionem hausit, aquæ supernatare. Quam docimasiam de pulmonum subsidentia in aqua, vulgo die Wasser-Probe mit der Lungen vocatam, plus una vice hic loci in Theatro Anatomico instituere vidi, quo ante respirationem semel celebratam non modo toti pulmones, sed & lobulus unus post alterum, horumque exiguæ portiones nunquam non subsidebant, facta postmodum unica eaque levi aëris inflatione, non solum color in dilutiorem è vestigio mutatus, sed & pulmones aquis supernatabant & simul cor suspendebant. Quod experimentum, utut à plerisque Medicinæ Forensis Scriptoribus, nec non ab Harveo, Bartholino, Schwammerdamio, Kypero, Ettmiillero, Stalpart van der Wiel, præ aliis à Job. Schreyer Phys. Cizens. pec. tr. 1690. Cizæ edit. allegetur & commendetur, non omnino tamen firmum, sed lubricum & sæpius fallax esse haud infimi subsellij Auctores contendunt, inter quos primo numerari loco meretur Exc. Dn. D. Zellerus, Archiater Würtembergicus & Professor Tubingensis Primarius undiquaque meritissimus, Patronus meus omni venerationis cultu prosequendus, qui in Diss. 1691. Tubing. habita stabilitum it, pulmonum in aqua subsidentiam infantidas neque absolvere neque à tortura liberare,

rare; cui adjungo *Cl. Bobnium de Offic. Med. Forens.* qui *cap. 6. part. 2. de renunc. diffic.* item *Diss. de infanticid.* neque respirationis actum è supernatione, neque ejus defectum è subsidentia pulmonum in aquis certo concludi posse pluribus confirmat. *Conf. Cl. Valentini Pand. Med. Leg. part. 2. sect. 7. introd. §. 4. & cas. 7. & seqq. Schœpffer Diss. erud. de pulm. infant. natant. & submerg.* Præ aliis hanc controversiam prolixè tractavit *Paul. Ammann. Prax. vuln. leth. Dec. 6. Hist. 1.* Quare meo quidem judicio *Cel. Bergerus Jctus & Prof. Witteb. in delin. Jur. Crimin.* rectè hanc pulmonum explorationem medicam probat, simul vero etiam caute in ea procedendum, pluresque circumstantias probe attendendas esse inculcat; quarum præcipuæ sunt 1. pulmonum sana vel morbosa constitutio, in hac eos à putredine & fermentatione resolvi atque leviores reddi rectè judicat *Cl. Herm. Frid. Teichmeyer Med. Leg. c. 24.* cum quo apprimè consentit *Cel. Frid. Ruyfch. qui referente Chr. Henr. Erndl. Itin. Angl. & Batav. p. 90.* signum foetus mortui à pulmonibus desumptum valdè lubricum statuit, eo quod, si cadaverculum à longo tempore jam extinctum & aëri liberiori expositum fuerit, pulmonum structura per supervenientem fermentationem adeo quandoque evertatur, ut supernatent aquæ, licet in utero matris extinctus fuerit foetus. 2. diversa aquæ quantitas hoc experimentum quoque labefactare potest, quodsi enim major illa fuerit, pulmones ex aliquorum mente superficiei facilius supernatabunt, quam si minor illa extiterit, qui tamen

experientiam non omnino consentientem habent. Idem 3. diverso modo se habet, prout infans semel tantum & parum, vel sæpius & multum aëris inspiravit 4. illud ideo quoque fallax pronuntiatur, quoniam capite exclusus reliquo corpore in partu adhuc hærente respirare & mox expirare potest, de quo phœnomeno *Cl. Bobniæ* verba supra allegavimus. Idipsum 5. confirmat, quod secundinis exclusus nefanda matris manu interfici possit, antequam respirare inceperat. Quibus addo 6. notum esse, quod fœtus modo erumpentes quandoque per aliquot momenta non respirent, sed mortui velut jaceant, & à spirituosus excitari atque ad aërem hauriendum invitari quasi opus habeant. Quæ cum ita se habeant, hoc ratiocinium, subsident pulmones ergo non respiravit, firmiter esse altero illo, supernatant ergo respiravit & violenta morte periit, salvo aliorum rectius forsân sentientium iudicio concludo.

§. VIII.

Quia vero actu respirationis etiam denegato nihilominus vivere fœtus in utero potest, quæritur secundo loco *utrum fœtus noster vivus adhuc, an vero mortuus ex ergastulo suo proruperit?* Prius quod attinet conceptu difficile est, qua ratione uterus non modo è sinu suo expellere, sed & ulterius eum in abdominis cavitatem ad hypochondrium sinistrum usque promovere valuerit, præter quod fœtus ipse nil prorsus motu suo eo conferret. Quod dum stabilio, non id ago, ut in dubium vocem fibras hujus visceris musculares easq;

copiosas & robustas, quæ partibus vicinis, præfertim musculis abdominis simul agentibus aptæ utique natæ sunt, insignem in utero constrictionem præstandi; ut taceam *Cel. Ruysch. in tr. de muscul. in fund. uter. repert.* nuperrime edito in eo occupatum esse, ut id ipsum multis & solidis argumentis adstrueret. Interim tamen experientia teste firmum etiam manet, foetum in utero mortuum partus difficilis causam plerumque existere, ideo quia ad exclusionem sui nihil prorsus contribuit. E contrario quantum motus ejus ad partum faciat, exempla foetuum mortua jam matre propriis unice viribus in lucem erumpentium haud obscure innuunt, de quibus *vid. Cel. Vateri Disp. de part. homin. post matr. mort.* Eisdem quoque favent ea, quæ *Cel. Ruyschius* observavit, scilicet embryones in utero materno mortuos paulo post insigniter mutari, ita quidem ut colore cinereo tingantur, & postea aëri expositi caput potissimum collapsum sit *vid. Advers. Anat. 2.* Deinde apertura uteri p. n. tanta fuisse non videtur, ut constrictione ejus sola foetum prorsus nihil eo conferentem, neque ullo modo eluctantem è sinu suo propellere potuerit. Denique si vel maxime hoc concedatur probabile non est, eundem tantum viæ emensum & usque ad hypochondrium sinistrum progressum fuisse. Posterius vero, nempe quod, antequam lucem hanc vitalem viderat, non tam expirarit quam potius extinctus sit, contrariæ rationes eæque non infirmæ suadere videntur, quarum præcipua est, quod in corpusculo ejus, altero post ma-

matris mortem die examinato, epidermis undique, præprimis in facie, ubi tenuissima est à subjecta cute facile secedebat, id quod certissimum foetus ab aliquot diebus mortui signum venditari solet. Huic subjungo illam, quod verosimile sit à diuturnis & magnis uteri constrictionibus placentam à matrice avulsam debitum ipsi nutrimentum non suppeditasse, quem nutritionis defectum mors non potuit non presso pede insequi. Non minus idem probabile reddit, quod secundinis exclusus per aliquot dies in collo uteri hæsit, in quo loco utpote minus commodo ob compressionem cervicis insignem diu superesse vix potuit. Neque problema Harveanum, de quo §. antec. dictum, mihi contrariari quin potius favere videtur, quo posito illum secundinis ab aliquot diebus exclusum absque respiratione vivere haud potuisse certum est. Et quod Ruyschii autopsiam spectat de mutatione foetus post mortem, in propatulo quidem est, nostrum non cinereo sed ordinario colore, nempe albo rubente conspicuum, neque etiam collapsum fuisse; verum hoc tenendum etiam est, dexterrimum hunc Anatomicum de embryonibus tenellis & abortivis illam intelletam velle. Quibus probe ponderatis suspicor, foetum nostrum, dum rupto utero cavitatem abdominis intravit, vel non vixisse, vel paucis horis post vita privatum esse, quia eidem illic existenti omnis nutritio, nec non respiratio in sanguine velut natanti denegata fuit.

§. IX.

Tertio loco quæri potest *num capite primum & ultimo pedibus è primo hospitio suo egressus fuerit infans noster?* Equidem facile prævideo, plures hanc quæstionem magni momenti non esse iudicaturos & parum interesse, siue hac siue alia parte primum ex utero exierit; istam vero iusque deque habendam non esse è sequentibus patebit. Est vero illa ipsa decisu facilis, si modo situs, quem aperto matris abdomine adhucdum tenuit, quique in Historia descriptus est, accuratiore oculo inspiciatur. Si enim in memoriam mihi revoco capitulum in hypochondrio sinistro locatum, truncum oblique deorsum ad inguen dextrum exporrectum & alterum pedem uteri collo insistentem, si etiam perpendo, eundem foetum instante partu caput primum obtulisse, uti ex relatione obstetriculæ, cui tanquam artifici hac in re credendum, quæque tactu illud exploravit, colligi potest, non possum non concludere, caput, quod in occurso erat & hiatus p. n. proximum primo omnium loco erupisse. Cui addo, quod si pedibus primum exiisset, præter quod situs longe diversus fuisset, post utriusque humeri egressum à cervicis constrictione caput ob grandiolem, qua gaudere solet, molem in collo procul dubio permanisset. Equidem si rationem consulo, illi quidem consentaneum magis est, pedes primum prorupisse, ex ea ratione, quia impetus, quem foetus calcitrans in uteri substantiam facit, ruptionis causa non inepte statuitur, uti id ipsum casus notatu dignis-

gnissimus supra è *Fabricio Hild. cent. 4. obs. 57.* allegatus ob oculos ponit; è contrario caput, quod crassum & obtusum est, matricem æque perrumpere aptum natum non est ac pedes; instrumenta ratione tum configurationis, tum etiam motus sui, quem toto die in utero fieri nemo dubitat, hunc effectum producendi maxime accommodata. Quare uteri perruptio conceptu facilior esset, si ab extremitatibus inferioribus producta illa fuisset; quia vero autopsia è supra dictis circumstantiis enata omni ratiocinio & conceptu potior est, hoc posthabito illi non possum non suffragari; hoc verbo adhuc annotans, casum, quem hic exhibeo, à pluribus aliis in eo discrepare, quod foetuum aliqui altera tantum sui parte nimirum capite vel integro vel dimidio, aut brachio & pede nunc alterutro nunc utroque, aut corpore dimidio ex utero emerferunt, placenta vel in eodem relicta vel à foetu in abdominis cavum pertracta, uti in nostro hoc factum esse in historia indigitavi.

§. X.

Majoris meo quidem judicio momenti est quæstio quarta, nempe *qua de causa uterus ita ruptus sit & an parturientis constitutio aliquid eo contulerit?* in qua enodanda hoc tanquam firmum suppono, partum difficilem remotam hujus ruptionis causam utique fuisse, dum foetus per vias ordinarias erumpere non valens insolitas & p. n. sibi ipsi paravit. Quare primo omnium inquirendum mihi esse videtur in rationes, ob quas partus difficilis factus. Cujus causa nunc

à foetu, nunc à matre ipsa, nunc vero ab obstetrice repetenda est; hanc ultimam studio hic prætermittens de eo magis sollicitus sum, an foetui culpa quædam adscribenda sit, à qua is ex parte liberatur, si in memoriam quis sibi revocaverit, eum, quantum constat, debilem non fuisse, multo minus in principio mortuum, neque nimis magnum aut monstruosum, neque perverse in utero locatum, neque funiculo umbilicali circa collum & artus implicitum, solitarium etiam neque gemellum, non putrefactum, exsiccatum aut in justo duriorum substantiam transformatum, non ultra legitimum tempus in utero detentum, insuper bene formatum fuisse, neque hydrocephalo laborasse; sic & secundinas, quæ pars foetus sunt, non firmiores fuisse earum disruptio debito tempore facta satis docet; neque funiculus justo brevior foetui erupturo obicem posuit. Rarius ne dicam rarissimum est, placentam parti uteri infernæ, ubi collum est, post conceptionem adnasci, eoque foetui viam occludere, quod ante aliquot dies insolito spectaculo visum hic est. Matrem quod attinet, quoad multa excusari illa potest; uterus quippe, quantum explorari potuit, male locatus non erat, non anteriorum, retrorsum aut ad latera inclinatus, de quo situ perverso apud *Henr. à Deventer nov. lum. art. obstetr.* plura reperiuntur; neque idem male conformatus, neque osculum præter morem crassum & prædurum erat, adeoque minus dilatabile, neque omnino clausum, uti in atretis fieri solet; neque scirrhus aut excrescentia quadam

ob-

obfessum; neque uterus in vaginam aut extrosum prolapsus; neque mola adfuit, neque calculus in vesica; sic & mater non fuit morbosa, non gibbosa, non debilis, non delicatula, non primipara, non junior.

§. XI.

Verum alia accidentia, quæ partui obicem posuere, allegari possunt. Ad quæ refero 1. quod annosa fuerit, nempe anno quinquagesimo propior, qua in ætate cartilaginee & ligamenta rigidiora facta tam facile extendi nequeunt. 2. staturam, qua erat, exiguam, quæ duo incommoda post se traxit, quorum primum est justo minor ossium pubis & coxendicis distantia, ut & ossis coccygis & sacri antrosum facta incurvatio, ejusque firmiter & minus flexilis cum ossæ sacro connexio, qua aqualiculus & viæ, per quas eniti foetus debebat, angustiores redditæ foetui erupturo exitum denegarunt, præprimis si foetus *πλατύς*, seu latis humeris præditus fuerit annotante *Petr. Foresto L. 28. obs. 70.* Nota mihi est foemina hujus loci è Nanorum seu pumilionum familia oriunda, quæ ob parvam corporis staturam sex quidem foetus edidit, nunquam vero partu naturali, sed illi omnes mortui vel integri vel frustulatim manu chirurgica extrahendi erant. Subjungere placet observationem 190. *Fr. Mauriceau l. c.* qua historiam foeminæ tam exiguæ staturæ exhibet, & ossa adeo propinqua, illudque coccygis ita antrosum incurvatum, ut capiti infantis solito majori non in hoc tantum partu, in quo dexterrimus hic Operator auxiliatrices ipsi manus præbuit,

sed & tribus prægressis exitus non pateret, illud-
 que in situm etiam naturalem aliquoties disposi-
 tum pristinum semper reciperet. Causam hujus
 rei solis aqualiculi angustias adscribit, quæ impe-
 dierunt, quo minus embryo seipsum in matrice
 vertere, aut à se, qui obstetricandi munere fun-
 gebatur, debito modo verti potuerit; quod eo
 minus fieri potest, si ossa innominata simul sum-
 ta ad alterutrum latus inclinant, utero licet recte
 locato, quod pariter bene annotavit à *Deventer*.
l. c. 2. incommodum à parva corporis mole pro-
 veniens erat, quod ingruentibus partus dolori-
 bus sella obstetricali, uti fieri debebat, inniti
 non potuit; unde factum, ut plerique naturæ
 conatus irriti fuerint, foetumque non rite pro-
 moverint. Possent vero quis regerere, modo di-
 cta, præprimis pelvis angustias & minorem ossium
 hanc constituentium distantiam non adeo atten-
 dendas esse, quia compertum est, istam antea jam
 gemellos favente Lucina in lucem edidisse. Sed
 respondeo 1. gemellos utpote mole minores ple-
 rumque facilius eniti, quam foetum solitarium,
 qui ordinario major est 2. ab illo tempore, quo
 primùm peperit, ligamenta & cartilagine magis
 rigidas & minus flexiles redditas fuisse rationi
 consonum videtur. Quæ & similia declarant,
 quas ob causas difficilis fuerit partus, quarum ple-
 rasque recenset *Exc. D. D. Dan. Nebel Diss. de extr.*
foet. hum. ex uter. Heidelb. 1713. habit. Quid ergo
 mirum, si viis ordinariis minus patulis sed nimis
 angustis existentibus foetus prorumpere laborans
 aliam eamque extraordinariam & p. n. quæsit.

§. XII.

Itaque delabor ad illas causas, quæ uteri ruptionem produxerunt, & simul ad Quæstionem quintam, *annon insignis cuiusdam corruptionis vestigia in utero apparuerint?* Eos etiam, quibus corporis humani structura non omnino incognita est, haud latet, cum matrice ita comparatum esse, ut vel in fundo, vel etiam circa cervicem non raro inflammatione, ad quam valde proclivis est, corripitur, & huic dispositio vel cancrofa, vel gangrænosa quandoque superveniat. Cui malo varia occasionem præbent, quorum præcipua sunt diuturna foetus in ejus cervice mora tempore partus instantis, indeque vasorum & partium compressio orta, quæ in nostra parturiente pariter observata fuit, foetu ultra tres dies huic cervicî impacto. Suum quoque symbolum eo confert rudior vel foetus vel secundinarum extractio, quæ læsa ejus substantia stagnationem sanguinis & subsequenter inflammationem infert. Porro eo contribuit corpus peregrinum in utero diutius, quam par est, contentum e. gr. placenta uterina vel integra vel saltem notabilis ejus portio; nec non in causa quandoque est lochialis fluxus vel ob aëris frigidioris ingressum vel ob aliam quamcunque causam suppressus. Ab his & similibus sanguinis stagnationem & ab hac inflammationem, post corruptionem natales suos ducere haud obscure colligitur & apud Observationum Scriptores annotatum legitur; præ aliis apud *Fr. Mauriceau obs. sur la gross. & l'accouch. E. N. C. Dec. 2. ann. 7. obs. 10. & Cent. 9. & 10.*

obs. 20. Verum omnes illæ, quæ ejusmodi mala incurrerunt, antea febre acuta, doloribus ventris, nec non duritie & tensione abdominis laborarunt; insuper humoris saniosi, foetidi, magis minusve rubicundi excretio post uteri hæmorrhagiam aut fluorem album accessit, quam hæmorrhagiam in foeminis menstrua ob ætatem non amplius expertis dispositionis uteri ulcerosæ vel cancrôsæ, nec non brevi subsequituræ mortis signum esse idem experientia edoctus affirmat. Nostra è contrario de nullo dictorum symptomatum conquesta unquam est, uti nec constat, eam ♀ei quid ab impuro concubitu contraxisse. Ei tale quid temere imputare nolo, quia vero antea jam gemellos utero gestavit, adeoque illicitæ ♀i indulgit, eam non ab omni labe immunem fuisse suspicor, quæ tamen tanta non fuisse videtur, ut notabile malum utero affricaret.

§. XIII.

Quibus rite consideratis mihi persuasum est, nullum in utero vitium p.n. antea fuisse (si levem inflammationem, tum à compressione uteri, tum etiam ab aëre per aperturam p. n. abdomen subeunte ortam excipias) sed continui solutionem, quam in illo post mortem videre licuit, foetui adscribendam esse, qui motu fortiore (à quo membra foetus quandoque luxantur, vid. *E. N. C. Dec. 2. ann. 9. obs.* 115.) calcitracione & conatu erumpendi tantum in hoc viscus impetum fecit, ut tenera & mollis ejus substantia eidem resistere haud valuerit. Huic causæ adjungo uterum ipsum, ejusque tam constrictionem extraordinariam in
 diu-

diuturnis partus laboribus , quam *texturam* ;
 quæ in gravidis valde laxa, mollis atque spongiosa
 est, quia ob insignem affluxum multum sanguinis
 veluti spongia imbibit & intra poros suos rece-
 pit, vasis ejus mirum in modum turgentibus, uti
 id in partu demortuis observare licet. Neque
 tantum spongiosa est ejus structura, sed & sinuosa,
 cellulosa & cryptis sinibusque referta , quæ an-
 tea in non gravidis dura , densa & compacta fue-
 rat, quod *Exc. Abrab. Vater Diss. de uter. gravid.*
Witteb. 1725. habit. præ aliis demonstrat ; cui
 suffragatur *Job. Fantonus Anat. Corp. Hum. Diss. 10.*
 de utero gravido hunc in modum loquens : *fun-*
gosa textura ejus apparet ceu multis cavernulis veluti
lienaribus cellulis intercepta, quæ invicem uti in liene
communicare videntur ; quas cellulas diversæ figu-
 ræ & magnitudinis in gravida 8. mensium pariter
 observavit *Cl. Littrius*. Hos sinus anfractuosos in
 quolibet utero, à quo placenta modo separata
 fuit, oculis facile se sistere, atque uterum , qui
 multum sanguinis intra substantiam suam alit,
 molliorem & spongiosorem reddere certum est.
 Non vero æque constat de majore vel minore
 ejusdem crassitie in gravidis, aliis, nempe *Graa-*
fio, Bohnio & Deventrio illam ratione & experien-
 tia stabilientibus, eamque in enormi expansione
 non imminui mirantibus, aliis è contrario matri-
 cem tempore graviditatis tenuiorem reddi con-
 tendentibus, quorum placitis *Fr. Mauriceau,*
Stalp. van der Wiel & Petr. Dionis adstipulantur.
 Meam non facio hanc litem paucis solum anno-
 tans, non tantum crassitiem aut tenuitatem, sed &

mo-

molem & magnitudinem considerandam esse, quæ si cum illa conferatur consentiente avtopsia asseri posse, uteri parietes in gravidis tenuiores in se non fieri, sed quia majus in volumen extensus ille est, tales videri intuentibus; aut vice versa eodem absolute loquendo non incrassari, quod si vero in memoriam nobis revocamus, corpora naturalia dilatata plerumque attenuari, id ipsum vero in utero non animadvertimus, eum hoc saltem respectu crassiorem evadere affirmari salva veritate potest. Quod vero collum ejus & osculum internum attinet, illud quod crassum alias & compactum est, in partu multum attenuari a nemine facile negabitur. Supra allegatas uteri rupti causas, nempe fortiorem foetus motum & enitendi nisum, magnam uteri constrictionem, mollemque ejus fabricam in gravidis fuse deducit *Fr. Bayle l. c. Diss. 6.* addens aliam, quæ in Tolosano locum habuit, scilicet terrorem, quo animus matris in urbe peste afflictâ continuo agitabatur.

§. XIV.

Sexto inquirendum etiam est in causam, ob quam *parturiens nostra, quæ antea pro eo statu, in quo erat, satis bene sese habebat & vivido vultu conspicua erat, tam subito mutata cadaverosam faciem induerit, & bis vel ter convulsionibus correpta fuerit?* Earum non una allegari potest, & quidem I. quod natura hominis, quo robore etiam & vigore gaudeat, à diuturnis atque perpetuis fere doloribus atque laboribus, quales in partu præprimis difficili vel sentiuntur vel perferuntur, multum fatigetur, tandem-

demque succumbat; cui accedit, quod in subiecto nostro utpote muliebri & minoris staturæ magnum adeo robur admitti vix possit, utut facies vigorem præ se tulerit. Addo, læsionem visceris nobilioris teneriorisque structuræ, quale uterus est, vel simplicem vel cum aliquali inflammatione conjunctam non potuisse non notabilem in M.S. alterationem parere, cujus crasis insigniter vitiata plura symptomata tardius vel citius post se trahit. Ut taceam, uteri vulnera illo potissimum tempore, quo mulieres utero gestant, à Medicinæ Forensis Scriptoribus pro lethalibus venditari, ideo maxime quia tum ob substantiam spongiosam, tum etiam ob vasa ejusdem cruore multum turgentia hisce læsionibus insignis sanguinis effusio supervenit, id quod in vulneribus hepatis, lienis &c. profundioribus experientia toto die testatur; quæ notabilis sanguinis copia partim ex utero partim è placenta extillans & in cavitatem abdominis effusa ad mutationem tam subitanam magnum procul dubio momentum attulit. His si jungo extraordinariam ventriculi & intestinorum, hepatis item atque lienis compressionem, nec non vasorum sanguiferorum reliquorumque canalium coarctationem, quam inquilinus iste ruptis repagulis in abdominis cavum erumpens produxit, dubitare non licet, dictorum viscerum functiones labefactatas & sanguinis reliquorumque humorum circulum impeditum esse, unde non potuit non insignis in œconomia catastrophe contingere. Vuitus tanto magis insigniter immutatus, quo magis rebus sic stantibus animus

anxius, dejectus & de infelici successu sollicitus
 erat; in confesso quippe est vultum animi janua-
 am esse & faciem morborum indicem, quid ergo
 mirum? si dicta animi sollicitudo in hac velut in
 speculo se conspiciendam præbuit. Qualis enim
 sanguis, talis facies, qualis facies, talis sanitas, unde
 & facies Hippocratica à Coe nostro *prænot. c. 2.* de-
 scripta & in moribundis sese offerens Medicis Clini-
 cis non raro obversatur. Convulsiones, quæ super-
 venerunt, inde explicari possunt, quod principi-
 um vitale omnes vires intendit, hospitem valde
 molestum exturbandi, uti iisdem corpus sæpius
 concuti videmus, si quando istud vel dentium
 expulsionem vel exanthematum excretionem
 molitur. Quodsi vero quis modo allegatas rati-
 ones in dubium vocet & quærat, quid factum, ut
 alij foetus, quorum supra §. 2. mentionem feci,
 præprimis Mussipontanus & Tolosanus per plu-
 res annos in abdomine hospitati fuerint, matre
 diu superstite neque magnam alterationem ex-
 perta, ei respondeo, decisu difficile admodum esse,
 quare posita eadem causa idem effectus secutus
 non fuerit. Si mea hac de re cogitata in medium
 proferre licet, aliquam horum casuum differen-
 tiam à nostro deprehendo, quæ in eo consistit,
 quod 1. in illorum aliquibus, e. gr. in Mussipon-
 tano uterus integer erat & nulla continui solutio
 in eo, uti in nostro casu occurrebat, quod supra
 §. 2. annotatum est, qualem læsionem lethalem
 esse modo innui. 2. In quibusdam eorum rudi-
 mentis foetus cum ovulo in abdomen delapsis
 extensionem & compressionem partium successi-
 vam

vam fuisse, quæ, licet enormis quandoque, non tantam alterationem infert, ac si eadem in momento velut & uno impetu contingit, uti id in dilatatione cutis apud hydropicos, in tumoribus tunicatis aliisque observamus.

§. XV.

Septimo haud abs re est, quæstionem movere, *annon fœtus noster in partu per aliquod tempus hærens manu chirurgica extrahi, vel operatione cesarea excindi, adeoque & mater & fœtus simul vel saltem alterutrius vita salvari potuerit?* In qua decidenda non inficias eo, embryulciam, quia vires parturientis & nisus eliminando fœtui impares videbantur, locum habere potuisse, qua cautum forsan esset, ne uterus disrumperetur. Quia vero situs embryonis, quantum ex obstetricis relatione patet, naturalis prorsus erat, huic vitio verti non potest, quod exclusionem spontaneam expectare, neque, uti perversus apud aliquas mos obtinuit, præcipitem nimis manum operi admoveere voluit. Brevi post occasio, quæ Hippocratis effato *Sect. 1. aph. 1.* præceptus est, è manu velut elapsa fuit, doloribus quippe evanescentibus & capite sursum retracto fœtus uteri cervicem mox perrupit atque sic manus obstetricias effugit. Postquam vero ruptis repagulis in abdominis cavum transit, illum servari utique potuisse prima fronte videtur, si celeri manu & festinata integumentorum sectione ex abdominis latebris in lucem protractus fuisset, idque vel vivente adhuc matre, vel eadem jam mortua; illud eum in finem, ut si in artis potestate positum fuisset, tam

hæc, quam etiam iste letho eriperetur, aut saltem, si prius obtineri non potuerit, foetus ad minimum servaretur. Et sane res est majori, quam hæctenus factum, attentione dignissima, nempe plures infantes superfuturos, si frequentius ipsa hæc operatio cæsarea institueretur, uti id in *Diss. pec. Præs. Exc. Dn. D. Laur. Heistero supra §. 5. alleg.* rationibus Theologicis, Legalibus & Medicis stabilitur, scilicet foetum ex utero matris mortuæ mature excindendum esse. Sunt quidem non pauci, qui operose contendunt, hanc sectionem administrari in corpore vivo salva manente matre haud posse, è quibus sæpius allegatus *Mauriceau de morb. gravid. l. 2. c. 32.* illam excessum inhumanitatis, crudelitatis & barbariei vocat, & qui eam exercent, temerarios appellat & opinioni suæ præconceptæ nimium inhærentes; item quæ *Roussetus* de illa habet, nil nisi deliria & imposturas esse pronunciat, neque ullam, in qua instituta fuit, supervixisse audacter asserit, cui suffragatur *Guillemeau* miratus eorum credulitatem, qui hujus operationis veritatem & felicem successum aliis persuadere volunt. Sic & *Corn. Solingen Operat. part. 3. c. 42.* fatetur, se non audere illam suscipere, quia quinque ipsi infeliciter cessit. conf. *Viardel, Dionis, Varandæum &c.* E contrario alij ratione & experientia id stabilitum eunt, inter quos refero *Fr. Roussetum Gal- lum*, cujus liber à *Casp. Bauhino* latinitati donatus & anno 1591. Basileæ in lucem emissus est, *Thom. Fienum Chir. tr. 8. Henr. de Roonbuysen lib. 2. obs. 1.* Et quod experientiam attinet, modo ci-
tatus

tatus Rouffetus plura exempla eorum, qui opẽ
 hujus operationis in lucem protracti fuerunt,
 præprimis Julij Cæsaris & Scipionis Africani à
 priore illa nomen accepisse fertur, rectius hic
 posterior primum Cæsaris nomine apud Roma-
 nos salutatus fuit. conf. *Plinij Hist. Nat. l. 7. c. 9.*
 reliquis recensendis, quia id ab aliis jam factum
 est, supersedeo, hoc solum adjiciens, quod Ol.
 Rudbeck hac sectione in propria conjugè admini-
 strata maximam sibi famam comparaverit, vid.
Monatlich. Unterred. 1689. & Abrah. Cyprianus
 historiam foetus humani post 21. menses ex uteri
 tuba excisi matre salva & superstite *Act. Erud. Lipsf.*
1701. mens. Febr. exhibeat; alios casus vid. ap. *Fabr.*
Hild. cent. 6. obs. 63. & *ep. resp. ad Dæring de part. cæs.*
Mauric. l. c. obs. 315. & 593. Valet hic Physico-
 rum axioma, *frustra laborare rationem, ubi experi-*
entia reclamat, hanc, utut à negantibus etiam affe-
 ratur, à partibus eorum, qui istam statuminant,
 stare in propatulo est. Sed rariora esse exempla
 earum, in quibus feliciter administrata fuit, non
 inficior, adeoque eam ad illas operationes, quæ
 facilius in cathedra & charta quam in corpore
 humano instituuntur, referendas esse censeo.

§. XVI.

Quodsi vero quis præfractæ adeo mentis est,
 ut experimentis hanc in rem factis fidem denega-
 re persistat, ei in memoriam revoco, hoc saltem
 in dubium vocari haud posse, quod operatione
 cæsarea servari foetus queat, sicubi illa, quamprimum
 mater expiravit aut ultimum halitum du-

cit, absque ulla mora administretur, atque hac ratione, si matrem à morte liberare in artis potestate non est, saltem vitæ embryonis consulatur vid. *Varandæum de morb. mul. l. 2. c. 6.* hinc *Rodà Castro l. 4. c. 3. de morb. mul.* vult, ut hæc operatio antequam mater plenarie expiret, adornetur, aut saltem omnia præparentur, ut illico post mortem fieri possit. Quod vero aliqui objiciunt, signum mortis vel in matre vel in foetu incerta hæc hæc sectionem dissuadere, & quidem quod foetum attiret, istius motum quandoque non percipi, ita ut ab expertissimis quibusque pro mortuo habeatur; quod vero matrem spectat, in illa, maxime si suffocatione hysterica simul laborat, nulla subinde vestigia vitæ animadverti. Poterit ergo Medico vel Chirurgo idem contingere, quod Vesalio, uti id in vita ejus ab Adamo consignat perhibetur, accidit, ut nempe viva pro mortuo cultro subjiciatur. Sed respondeo ad prius; si vero maxime sectio instituatur foetu adhuc vivente nihil male inde in eum redundat, quin potius operatoris intentio adimpletur, quæ est vivum protrahere; si vero mortuus ille fuerit irritus quidem labor est, sed nec foetui nec matri, quando defunctam suppono, noxam infert; imo judicant *Greg. Nymanno de vit. foet. in uter.* centum prægnantes irrito labore incidere præstat, quam semel permittere, ut foetus vivus in utero matris no misere pereat & luce privetur. Quoad posterius re probe examinata certa in matre signa vitæ dari arbitror, neque, si res dubia fuerit, tanta festinatione opus est, si, quod multi contentunt

lunt, foetus propria vita gaudet, adeoque ad horæ integræ fere spatium intra uterum matris mortuæ superesse potest, uti id foetus post mortem matris exclusi & supra §. 8. citati abunde loquuntur. conf. *E. N. C. Dec. 3. ann. 3. obs. 44. & ann. 4. obs. 83. & 171. & Mauric. l. c. obs. 343.* foetus 15. vel 16. horas à matris obitu superstitis meminit: Sic & à *Rejes Elys. Jucund. Quæst. camp. quæst. 79.* matre mortua foetum statim perire negat. Quamvis ergo non contrarius sim iis, qui operationem cæsaream in usum vocandam esse suadent, nihilominus hanc enchiresin in nostro subiecto locum non habuisse existimo eo, quia verosimile est, foetum, uti supra innui, vel ante vel mox post ejus in abdomen transitum vivere desisse, matremque huic per notabile tempus supervixisse; quæ mihi persuadent sectionem cæsaream, si vel maxime suscepta fuisset, irritam & frustraneam fuisse, adeoque & operatorem finem suum assecutum non esse concludo. Sed ne *Dissertationis Academicæ* limites transgrediar vela contrahens Archiatro Cœlesti humillimas pro concessis viribus grates rependo.

F I N I S.

Explicatio Figurarum.

Fig. I.

- a Corpusculum foetus oblique in abdomine situm.
- b Caput in hypochondrio sinistro locatum, quod sub intestino colo magna ex parte latuerat.
- cc Nates in regione pubis sitae, quarum dextra medio ossis pubis insistebat.
- ddd Placenta uterina, quae in hypochondrio dextro locata erat sed facta cadaveris apertione deorsum delapsa est, cum annexo funiculo umbilicali e
- fff Intestina sursum reclinata imprimis colon gg ut totum embryonis corpusculum imprimis caput intuentibus pateat.
- hh Portio Omenti pariter sursum reclinata.
- ii Pars fundi ventriculi.
- lll Peritonaeum cum communibus infimi ventris integumentis discissum & reclinatum.

Fig. II.

- a Uteri fundus.
- bb Ligamenta ejus teretia seu rotunda.
- c Cervix seu collum matricis.
- dd Membrana uteri exterior separata & reclinata.
- e Vagina uteri.
- ff Apertura seu hiatus p. n. in cervice, 3. digitis transversis supra osculum internum, per quem foetus ex utero prorupit & in abdomen transit.




NOBILISSIMO DOCTISSIMOQUE
DN. CANDIDATO
JOANNES SALZMANN, D.
h. t. Ordinis Medici DECANVS.

Ευχαρίειν !

Hippocrates vitæ hujus conditionem omnium ætatum hominibus communem descripturus in post. ad Damaget. Epist. in hæc verba erumpit: Totus homo ex natiuitate morbus est. Quo velut è tripode dicto digitum intendit ad morborum multitudinem, quam Plinius Hist. Natur. libr. 7. c. 51. infinitam esse iudicat, quibuscum Creaturarum nobilissima à primo vitæ momento ad ultimum usque halitum subinde conflictandum est, quique nos miseros ad tumultum commitantur. Longe autem abest, ut Dogmaticæ Medicinæ Parens nimium hoc ipso dixisse videatur, quin potius non satis miseriarum allegasse censebitur ab iis, qui Experientiam optimam rerum magistram consulunt, utpote quæ exemplis haud oppido raris demonstrat, non modo à natiuitate, sed & in partu, & quod magis est, ante eundem quandoque hominem morbum imo & mortem esse, si quando embryo adhuc vel in utero materno diuersis jam malis expositus est, vel ex ergastulo hoc suo enitenti exitus præcluditur, adeoque jucundissima lucis hujus usura, antequam illam viderat, privatur, tumultumque, dum genitrici parat, ipse

*invenit. Tu, NOBILISSIME DN. CANDIDATE, in
presenti Specimine Inaugurali luculentum hujus rei
documentum nobis præbes, non modo aliorum observa-
ta hinc inde in monumentis annotata proferendo, sed
rariorem de Vtero rupto, fœtuq; per hiatum p. n. in
abdomen prorumpente casum, quem intueri Tibi con-
tigit, Lectori exhibendo. Vti institutum hoc Tuum
Doctis non displiciturum & præconio dignum judico,
ita cum in eo jam sis, ut pro ingenij Tui fœtu, quem
laborioso partu edidisti, tanquam pro aris & focis
pugnes, opto simulque spero, Te cum Auditorij applau-
su id præstiturum utiq; esse. Gratulor ergo Tibi de hoc
pariter labore ac de utroq; Examine Doctorali cum
laude exantlato, gratulor EXPERIENTISSIMO DN.
PARENTI TVO, quem Optimum nunquam non ex-
pertus es, atq; animitus roveo, ut bonis avibus ad pa-
trios lares redux Hujus spem Patriæq; expectationem
rite sustineas, SERENISSIMIQUE PRIN-
CIPIS gratiam, qua laudatus DN. PARENS TVVS
à pluribus abhinc annis eximie fruitus est, etiam atq;
etiam merearis. Ita fiet, ut omnium Votorum Tuo-
rum compos ex asse evadas. Qua spe & voto nunquam
excides, si studiis Tuis Pietatem & Decorum Medi-
cum felici connubio junxeris. Quod superest, id quod
Tibi primo statim verbo acclamavi, & hic ultimo re-
peto, Tibiq; in omni actione commendo, τὸ εὐπράττειν
Vale. Per scr. Argentor. die IV. Id. Oct. clō Iccc XXVI*



Maturum ingenij foetum, gaudemus, *Amice,*
 Profers, de foetu doctaque verba facis.
 Felix cui talis contingit terra Machaon,
 Gnatum quem dignum judicat Ars Medica.

*Nobilissimo atque Doctissimo DN. CANDIDATO de
 obtento honore gratulabundus cum votu perpetuae
 prosperitatis haec apposuit*

Georg. Samuel Bechtold,
 Berolin. Med. Cand.

Das Kind/ so ganz verkehrt sich zur Geburt geschickt/
 Durch selbst gemachten Weg auf Erden wollte kommen;
 Doch in dem Labyrinth der Mutter sich verstrickt/
 Und so das Leben hat Ihr und Ihm selbst genommen;
 Dasselbe stellt Dein Fleiß der Welt als leben für/
 Du ziehst es auß dem Schooß der Mutter und der Erden;
 Man rühmet diese Schrift und schließt darauß von Dir/
 Geht diß bey Todten an/ was wird bey Krancken werden?

*Dieses wolte den Herrn Candidaten glück,
 wünschend beysetzen*

J. F. Cassebohm. Berolin.
 Med. Cand.

Ingenij veros aperis, Dulcissime, Fontes,
 Dum de Utero rupto nos meliora docens
 Differis, Invidiâ rumpantur ut Ilia Codro,
 Utque Tuis Votis uberiora feras.
 Gratulor; ingenuos Uterus Tibi fundet Honores,
 Atque laboranti Gloria Partus erit.

*Hæcce paucula Nobiliff. atque Præstantiff. Dn. Candidato
 Amico suavissimo, adjungere voluit*

S. S. Wegelin, Med. Cult.
 Sangallo-Helvetus. Opp.

Dum

☞) o (☞

DUm sic, *mi Pistor*, docto miracula Fœtus
Monstras ingenio, præmia digna feres,
Ac erit, ut Patriæ, qua nil est suavius, olim
Utilis auxilio consilioque fies.

*Hisce Doctiss. DN. Candidato Amico & Conterraneo
desideratissimo gratulabundus sese comendat*

C. E. Andreae, Med. Cult.
Stuttg. Wûrtemb. Opp.

Multa vetusta remotis eduxere latebris
Eximia digni posteritate Viri.
*Multa refodere Hippocrates doctusque Machaon,
Nomina quæ nulla posteritate cadent.*
*At Scriptis his, TE longe abditiora docere
Perdocet ingenium, Fœtus & hicce TUUS.*
*Perge Artis Medicæ causas tentare latentes,
Perge & Pieriis invigilare Choris.*
*Sic nova sufficies tandem mortalibus ægris
Gaudia, Pandora quæ periere dolo.*
*Sic TE quis PISTOR quis terque quaterque beatum
Facundæ Natum Palladis esse neget?*

Affectus testandi ergo adjecit
Anhorn de Hartwils, Sangallo-Helvet.

EXtollat Medicos mortalis honore decenti,
Illis nam gaudet quisque labore gravis.
Est etenim Dominus Medici celeberrimus auctor
A Summo dulcis nam Medicina fluit.
Hinc in conspectu Regum laudabitur omnis
Artis qui medicæ Doctor amicus abit.
Sic TU Delicium sis Principis atque Tuorum
Quando coronabit tempora Apollo TUA
Carmina nostra TUIS damus his inserta pagellis
Nomina sint nostro dedita corde TUA.

*Hisce Nobiliss. Præstantissimoque DN. Candidato
Amico suo astumatissimo accinere voluit*

J. G. Scherb, Med. Cult.
Episcopicello-Helvet.